

Fac autem Sacerdotes & Levitas, quorum dignitas & proventus omnes ex eo Libro pendebant, illum tamen neglexisse; an proinde Judices, Magistratus, Principes, privatique omnes, qui & callere ipsi & filios suos docere Legem debuerant, qui verba Legis in superliminaribus domorum insculpere, qui brachio & fronti alligatam tenere, qui denique Regna, Urbes, Provincias, familiam, ac se ipsos tandem ad normam ejusdem legis dirigere jubebantur, interciderere illam permisissent? Debuerant profecto studio in se, in Patriam, in Religionem renuntiasse prius, quam ad desideria pervenirent. Debuerat universus Israel terga simul Domino vertere, atque in extremum furorem, stultitiam & impietatem devenire.

Totam quidem Israelitici Regni feriem intervalla quaedam obscura & tenebrosa interceperunt, uti sub Regibus impiis, idololatriis, Sacerdotibus corruptis, populis licentissimis & Domino perduellibus: nunquam tamen diu licentia, nec longelateque obtinuit. Deus enim nunquam non sine Principes, sive Sacerdotes, sive Prophetas studiosos pioque submisit, qui afflictiis Religionis rebus succurrerent, scandalum repararent, tanquam muros firmos impietati & corruptioni sese opponentes. Populus quamquam aliqui Legibus Divinis refractarius, in vitia praceps & licentiam, Legibus tamen in nonnullis deferebat animo aded obfirmato, ut dimoveri nequaquam poterit. Neque enim deferere Deum penitus voluerat, sed ejus obsequiis pro arbitrio servire: & in ipsa licentia cultuque ejus superstitioso, quicumque tamen sive Moyse sive ejus gloria detrahere quidquam vel saltem minimam aliquam literulam e texto Legis abradere, ipsamve Legem in aliquo reprehendere, ausus fuisset, extremum vitae periculum in suum caput ab universo populo excivisset. Id enim naturam apud plerisque mortales comparatum est, ut superstitionem in impietate retineant, studiumque profiteantur ejus Religionis, quam moribus deturpant; & ad insaniam usque Legibus vindicandis ferantur, quas moribus tamen destituunt. Hac Hebraeorum imago.

Nihil antiquius habet Moyse, quam ut studium & meditationem Legis commendet. Jubeat transcriptum ejus Exemplar Regem apud se retinere (s); singulis septennii in Festo Tabernaculorum alit coram populo legi (t); ejus Originale in religiosissimo loco Tabernaculi, in Sanctuario scilicet, asservari (u). Cavet ne minimum quid addatur detrahaturve (x). Sacerdotes Legem callere jubebantur, quippe qui & caeremonias ministerii sui praestare debuerant, exhibere ordinis sui genealogias, Sacerdotii privilegia; scire quin etiam res ad judicandas controversas pertinentes, juri populo dicundo a Moyse additi. Privati vero Israelitae, ne foeminis quidem exceptis, Legem nosse debuerant, cum plura servare jubentur; nec ex illis aliqua ignorare sine capitis dispendio licebat.

s Deut. 17. 18.
t Deut. 31. 10.
u Deut. 31. 26.
x Deut. 4. 2.

Patresfamilias ita instruere filios suos tenebantur, ut simul ipsi omnia nosset, cum Moyse Lex veluti municipalis apud Judaeos haberetur.

Vix Josue gubernandum populum suscipit, haec habuit a Domino commissa (y): *Non recedat volumen Legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Idem vero Chanaanitidem divisit, expeditionemque in Chanaanos juxta Moyse praescriptum suscepit. Frequentem summi illius Viri ejusque facinorum, & Legum mentionem ingerit; nec silet divisionem ab eo factam regionis Transjordanicae, pulsus Regibus Amorrhæorum, devictus (z). Si Altaria erigit in monte Hebal, & Garizim (a), jussionibus Moyse parat; si Urbes Sacerdotibus, & Caleb destinat, Legissatori obsequitur (b); uno verbo nihil omisisse eorum, quae a Moyse statuta fuerant, maxima Viri hujus in Sacra Scriptura laus est (c). Paulo ante mortem populum in hac verba hortatur (d): *Estote solliciti, ut custodiatis cuncta qua scripta sunt in volumine Legis Moyse.* In postremo tandem Operis capite (e) totam historiam revocat a Thare patre Abrahami usque ad Moysem & Aaronem, in qua strictim persequitur gesta omnia Moyse, quaeque deinceps Deo autore ipse Josue in populi favorem praestiterat. Legitur ibidem historia innovati inter Deum & populum foederis, quod populus suam obligatam nunquam a Legge & praecipis Moisaicis recedendi veluti obsignaverat. Erat igitur sub Josue Lex Moyse omnibus aequè Israelitis exploratissima, cujus praescripto dirigebantur. Ipsi tandem Chanaanai Moyse testimonium perhibent; fatentur enim Deum Moyse servo suo Chanaanitidem promississe (f).

Sub Judicibus frequens mentio occurrit de exitu ab Aegypto, de Legibus Domini, atque ultione de transgressoribus exacta. Deus adversario manu manibus Israelitis permisit, ait Scriptura (g), *ut in ipsis experiretur Israel utrum audiret mandata Domini, qua praeceperat Patribus eorum per manum Moyse.* Jephthe fusè prosequitur res gestas a Moyse cum Ammonitis, Moabitibus, & Idumæis, cum scilicet Israelitas in Chanaanitidem duceret; quo valido argumento jus Israelitarum adstruebat in ea regione possidenda, quam reipsa possidisse illos vel hostes ipsi Moisaicorum Operum lectione nosse poterant (h). Quantum etiam valeret Leges ne dum in Sacris sed etiam in politia, illustri sanè testimonio apud Ruth (i) intelligimus. Contraria omnia ex historia Summi Sacerdotis Heli (k) parent, cujus filii Divinas Leges susceperant; quamquam ex animadversione Dei, tum & querelis populi in illos satis etiam demonstratur, quid maximè Israelitae per id temporis observarent. Samuel (l) ad normam Legum Moisaicarum jura populo dabat, eam integritatis & prudentiae famam, ut impunè exprobare populo ingrati animi vitium non in praestitanti à se beneficia posset, sed in ea pariter, quae Dominus contulerat, cujus bene-

y Josue 1. 8.

z Josue 1. 13.

a Josue 8. 31.

b Josue 15. 13.

c Josue 11. 12.

d Josue 33. 6.

e Josue 34. 2.

f Josue 26. 1.

g Josue 24. 1.

h Josue 24. 1.

i Ruth 4. 7.

k 1. Reg. 22. 2.

l 1. Reg. 7. 3.

h Judic. 11. 12.

i Ruth. 4. 7.

k 1. Reg. 22. 2.

l 1. Reg. 7. 3.

beneficio ex Aegypto eductus in Chanaanitidis possessionem devenerat. Tandem sub Judicibus, & Regibus (m) nunquam non revocatur in memoriam Israelitarum vel secessus ab Aegypto, vel prodigia a Moyse patrata, vel ejus Leges, ad quam etiam normam reformanda politia suscepta est. Harum legum sive contemptum, sive omissionem Deus severè animadversione punivit. Erant igitur apud universum latè populum assertae Leges, & exploratae.

Nihil antiquius habuit David, quam ut Divinas illas jussiones sanctissime servans, custodiendas pariter religiose filio suo Salomoni paulò ante mortem commendaret (n): *Ut custodias caeremonias ejus, & praecepta ejus, & judicia, & testimonia, sicut scriptum est in Legge Moyse.* Salomon in Proverbiis (o) frequenter Legis mentionem adjecto etiam elogio inducit; ejus lectionem, studium simul, & exercitium commendans; tum vero in sua ad Deum post dedicationem Templi praecipue amplissimis verbis exaggerat liberatam à Deo fidem omnem promissionum, quibus Moyse sese populo obstrinxerat (p). Mentio etiam sub eo Rege occurrit Tabernaculi à Moyse in deserto erecti (q); nihilque in Arca servari traditur quam tabulas legis Moisaicae (r). Tandem Templum, vasa sacra, & sacri Ministerii ordo testimonium pro Lege ferunt apertissimum.

Cum Joas in Regem inauguratus est, imposuerunt ei diadema & testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam Legem (s). Amasias filius Joas necem constituit in scarios patris sui, filiis vero ipsorum pepercit (t), juxta quod scriptum est in Legge Moyse: *Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus.* Tandem Ezechias amoliri iussit serpentem, aeneum olim à Moyse in deserto erectum; quippe qui Israelitis offendiculo & cultus superstitiosi occasio fuerat (u).

Quae de Exemplari libri Legis sub Josia reperto feruntur 4. Reg. 22. 8. & 2. Paralip. 34. 14. omnibus exploratissima esse arbitror. Porro Rex ille Legum Moisaicarum tenacissimus celebratur (x); & cum reformandam Religionem atque politiam suscepisset, solam Legum Moisaicarum normam sibi proposuit [y]. Josaphat reformandae provinciae consilio assumpto, missi Optimates, Sacerdotes & Levitas per omnes urbes Juda & Benjamin, habentes librum Legis Domini, ut consona Legi Moisaica docerent atque constituerent (z).

Cum Jeremias fratres suos in captivitatem mox adducendos convenisset, librum illis Legis secum deferendum afferendumque tradidit (a). Non desunt inter Eruditos [*] qui credant, datum Cuthaie Legis Moisaicae exemplar ante captivitatem; constat enim hodie usque apud illos servari Legem veteribus Hebraicis characteribus, quorum erat ante captivitatem usus, scriptam; illud enim à Judaeis recepisse vix credimus, cum infestissimi ejus gentis adversarii haberentur. Verfabantur igitur

m 1. Reg. 12. 6.

n 3. Reg. 2. 3.

o Prover. 1. 8.

p 2. Reg. 22. 13.

q 3. Reg. 8. 9.

r 2. Par. 35. 10.

s 2. Par. 23. 11.

t 4. Reg. 14. 6.

u 2. Par. 15. 4.

x 4. Reg. 18. 4.

y Num. 21. 1.

z 4. Reg. 23. 25.

a 2. Macch. 2. 2.

* Vide ad 4. Reg. 17. 27.

seq.

2. Macch. 2. 2.

* Vide ad 4. Reg. 17. 27.

seq.

libri Legis in manibus Principum & populi sub Regibus Juda usque ad captivitatem; ex quo sanè intelligimus, nunquam ad id temporis committi potuisse, ut ejus exemplaria corrumpentur, abolerenturve.

Quamquam major esset in Regno Israelis praeter Juda licentia, non ita tamen reputandum est, quasi Lex profusè apud eas gentes interisset. Florebant enim apud illos magno numero Prophetae, ejus studio & observantiae penitus addicti. Elias, Eliseus, eorumque discipuli, frequentes illi oppidò (b), nihil antiquius habebant, quam ut in Prophetarum cœtu Libros sacros incorruptos servarent. Osee, Ahias, Jonas, Amos, alique plures in eodem Regno versabantur; & cum rerum potiretur Achab corruptissimus si quis alius Princeps, quo tempore alia erat si, unquam alio, Legis oblivio, plures tamen Israelitarum myriades integram incorruptamque Religionem suam & in Dominum fidem servaverant (c). Cœtus frequentabantur religiosi apud Prophetas singulis recurrentibus Sabbatis & Neomeniis (d), in quibus lectioni & expositioni Legis Domini populus vacabat. Joram filius Ochoziae, & Joas filius Joachaz nullo certè virtutis singularis merito distinguebantur; colebant tamen Dominum, Prophetas observabant, neque sub iis Regibus Domini memoria penitus obsoleverat. Sub Jeroboamo II. publicus Legis cultus in quibusdam obtinebat (e). Sacrificia in editis locis offerebantur, & religiosa peregrinationes instituebantur ad loca visionibus Domini, sive morè Patriarcharum religiosa (f); primitiarum, & decimarum tributum ratum sanctumque habebatur; festa & Sabbata servabantur, Cantibusque Domini loca Sacra infrepebant. Anne igitur reputabimus probos illos Israelitas, viros prophetiam amplissimos, Eliam, Eliseum, Osee, Amos, Ahiam, Jonam, Tobiam, Mardocheum Giezi, Conjuges hospites Elisei, aliosque plurimos auxilio Librorum Sacrorum ita destitutos, ut ne Sacras quidem historias nosset? Nihil morò Annales Regum Israelitarum, quos velut incorrupta certissima fidei monumenta in Regno decem Tribuum servatos constat; nec semel in Regibus & Paralipomenis laudantur (g). Tandem Sacerdos sive Levita ab Assaradone ad docendos Cuthæos vel Samaritanos missus, Legis codicem, quem ad nostram usque aetatem servant, populis illis tradidisse scimus. Erant igitur apud Israelitas captivos, apud quos Sacerdos ille tenebatur, Legis Domini exemplaria.

Frequens in Psalmis mentio de Legibus & de historia Judæorum, ex quo illustratis documento intelligimus, ipsa Davidis caeterorumque, qui Divina illa Cantica scripserunt, aetate Leges, & historias Hebraeorum exploratissimas in Republica Judaica habitas. Idem non uno in loco insinuant Libri Prophetarum (h); nunquam illi non castigant Israelitarum in Legem pervicaciam crimina, populosque ab iis Legibus exorbitantes ad viam revocant; hortantur, ut ad Deum tandem con-

b 4. Reg. 14. 38.

c 3. Reg. 19. 18.

d 4. Reg. 22. 23.

e Amos 2. 2.

f Amos 7. 9. 13.

g 4. Reg. 17. 27.

h Vide v. g. Isai. 63. 10.

g. Jerem. 15.

1. Mich. 6. 4.

versi pristina consilia suscipiant; ingerunt exempla veterum Patrum. Prophetarum. verò oracula nec obscura erant nec incognita; cum pro concione palam in Templis & in Cœtibus religiosis præ foribus Aulae, & Urbis, sive in plateis loquerentur. Porro vaticinia sua scribebant Prophetæ adjectis temporum adscriptionibus; cujusmodi Operum genera omnium manibus atterebantur. Nonnulla etiam illorum oracula in Annalibus gentis relata servabantur; nec in Annalibus tantum, sed privati quique Exemplaria apud se habere fidebant, quemadmodum olim apud Prophanos summâ curâ colligebantur oracula de rebus majoris momenti, puta de politione Urbium, de Provinciis, Regnis, & clarissimis familiis vulgata. Post tantam impensam Libris Prophetarum servandis curam, interciderit ne unquam Libri illi potuerunt? Porro Judæi in ipsa captivitate, ne talia negligenter, multo impensiori curâ efficere debuerant, cum de Libris ageretur, in quibus sicut oracula de imminentibus in gentem malis & captivitate relata fuerant, ita etiam de futura mox præstituto tempore felicitate expressis Vaticiniis admovebantur.

Faciant etiam in nostrum argumentum. Proverbia Salomonis, & Genealogiæ in Paralipomenis insertæ; sed argumenta huc usque ex historiis deducta satis intentum evincere arbitror.

Quod spectat ad historias Josue, Judicum, Regum, mansisse illas incorruptâ fide usque ad captivitatem, nullo negotio demonstraretur. Nihil enim in omnibus historicis monumentis frequentius, quàm inventa olim Tribuum dispositio; nunquam non Urbes certæ Tribui, cui olim additæ fuerant, assignantur; quæ si fortè in sortem altarum Tribuum transferint, id sanè solerter in eisdem Libris exprimitur. Ita Siceleg urbs olim Simeonis, deinde munere Achis Regis Geth in sortem Davidis adedque & Regum Juda transivit (i). Pristina Israelitarum historia non rarò percurritur; ita Samuel totam fermè illius seriem prosequitur (k); David Abimelechum filium Gedeonis in exemplum adducit (l). Revocantur etiam in memoriam maledicta à Josue in eos pronunciata qui reedificandæ Jericho consilium inivissent; quæ omnia in caput Hiel de Bethel recidisse narratur (m). In Psalmis tota prorsus historia Judæorum strictim percurritur (n). Paralipomena, quæ ex veteribus coævisque monumentis expressa ne dubitamus quidem, paucis verbis plura Veterum historiarum facta commemorant. Quare omni remotâ dubitatione asserendum est, universam Judæorum historiam perpetuâ connexionem serie sibi optimè constare, eique scribendæ operam impendisse viros cogvos, & fide spectatos; mansisse verò illam incorruptam, saltem in iis Commentariis atque publicis Annalibus, mansisse, inquam, ad eam usque ætatem, quâ Libri ad nos usque derivati adornandi à Sacris Authoribus suscepti sunt. Cum igitur Libri Regum, & Paralipomenon post captivitatem

i 1. Reg. 27. 6.

k 1. Reg. 13. 11. 13. Reg. 11. 21. Judic. 9. 53.

m 3. Reg. 17. 34. n Vide Ps. 56. 21. & 98. 6. & 102. & 104. & 105. & 82. & 77. 1.

primò literis mandati fuerint, quemadmodum nos in Prolegomenis ad singula illa Opera demonstravimus; ineluctabili planè argumento constat, Annales incorruptos, & Originales ejus gentis usque post captivitatem inviolatos mansisse. Hos autem Annales consulebat, eosdemque modò laudabat, modò describebat, modò consulendos Lectoribus indicabat Author, cum lucubrations illas daret.

Post demonstratam integram asseritamque Librorum Sacrorum apud Judæos, à Moyse usque ad captivitatem Babylonicam possessionem, facili deinde negotio eandem traditionem à captivitate usque ad Jesum Christum deducemus. Supra jam animadvertimus, ne verbo quidem in Sacra Scriptura insinuari Reges impios, sive qui apud Judæos, sive qui apud hostes ejusdem gentis regnarunt, bellum, quemadmodum in gentem, ita etiam in Libros Sacros indixisse. Jeremias, uti supra innumus, Judæis mox Babylone in captivitatem traducendis volumen Legis commisit, cujus aliqua exemplaria sibi ceterisque, qui secum manebant, retinuisse facile censemus. Sacerdotes, & Levitæ nunquam iis Libris caruisse credendi sunt; cum singulis de illis consulentibus paratos sese exhibere tenerentur (o). Servasse etiam illos constat muscas illas cantilenas, quemadmodum & musica instrumenta in usum Templi olim destinata; Babylone enim, versantes Judæi exquirebantur in Psalmo 132. 1. &c. *Hymnum cantate nobis de Canticiis Sion? Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena? Ultra fatetur Daniel omnia, quæ in caput impiorum pronunciantur in Lege Moyse mala, in caput reipsâ Judæorum recidisse (p). Baruch ad captivos Babyloniæ loquutus, Moyse Legem, tum & historiam universam populi Dei laudat, & in memoriam revocat (q). Daniel oracula Jeremias legens, penitiores sensus scrutabatur (r). Regi Cyro indicatum fuisse Isaiæ (s) vaticinium, quo idem Rex vel nomine designabatur. Josephus Antiquit. lib. 11. cap. 1. est author. Cum judicialis potestas apud Judæos in Babylonia versantes maneret [t], delictos illos Legibus Mosaicis, ad quarum normam omnis eorum politia dirigebatur, quis credat? Vix persuademur fieri potuisse, ut Mardocheus, Esther, Tobias, Ezechiel iis libris, quemadmodum & gentis suæ historiâ carerent; cum maximè de Susanna apud Daniele legamus, institutam scilicet illam ad Legum Mosaicarum præcepta, latamque in ejus accusatores juxta præscriptum ejusdem Legis sententiam; quippè quod juxta Moyse sanctiones falsi testes poenâ talionis damnati sunt [u]. Unde verò molienti Libros Regum & Paralipomenon suppetebant, quæ in ordinem redigeret, vetera monumenta, si nulla in captivitate supererant? In Epistola Artaxerxis testimonium ferri de Esdra, quasi de viro assidue Legem Dei sui versante, supra animadvertimus [x]. Cavet insuper idem Rex, ut dicto ejusdem Legis morigeros se præbeant, atque judicia sua con-*

o Malach. 2. 7. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus.

p Daniel. 9. 11. 13.

q Baruch 1. 19. & 2. 1. &c. r Daniel. 9. 2. s Isai. 44. 28. & 45. 1.

t Dan. 13. 3. & 62.

u Deut. 19. 18. 19.

x 1. Esdr. 7. 14. 25.

y Ibid. ver. 10.

forment Hebræi; ac tandem ipse de se Esdras (y) testatur, cum Babylone versaretur, parasse cor suum, ut investigaret Legem Domini, & faceret, & doceret in Israel præceptum, & judicium. Inde gloriosus viro titulus Scriba velocis seu Legem Dei sui callentis. Cum verò ille Jerosolymam repeteret, unâ secum Exemplaria Legis attulit, & post reditum Nehemiæ hæc legimus 2. Esdræ 8. 1. &c. *Dixerunt Esdra Scriba, ut afferret librum Legis Moyse, quam præceperat Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras Legem coram multitudine.* &c. Malachias omnium Prophetarum ordine temporum novissimus, quippè qui post captivitatem scribebat, populum hortatur illis verbis cap. 4. 4. *Memento Legis Moyse, servi mei, quam mandavi ei in Horeb.*

z 2. Macch. 2. 13.

a Vide à cap. 44. usque ad cap. 50.

b 2. Macch. 2. 14.

c 1. Macch. 1. 59.

d 1. Macch. 2. 48.

e Ibid.

ad Lacedæmonios literis significarunt, nihil se capere posse tot malis afflictos foelati, nisi in Iestione Sacrorum Librorum (f). Habebant igitur Macchabæi Divinarum Scripturarum collectionem.

Versio Græca Septuaginta adornata A. M. 3727. sive illa omnes æquè sacros Judæorum Libros contineret, uti Veterum plerique autamarunt (g), sive tantum 5. Libros Moyse, quæ alius fedit opinio (h); (nihil ego in ea re asserendum censuerim) illustri satis documento Libros Hebræorum jam inde ante Jesu Christi ætatem Græcis innotuisse demonstrat. Constat autem inter omnes eâ jam ætate certum fuisse illorum Librorum numerum, & quem appellant Canonem Scripturarum exactum absolutumque obtinuisse.

Hac perpetua traditionum, & auctoritatum serie docemur, à Moyse ad usque Jesu Christi ætatem semper apud Judæos Librorum Sacrorum depositum mansisse, ut quicumque illorum auctorem Esdram inveniant, repugnantia illi planè & falsa contendant. Nunquam enim apud Hebræos Scriptura desit, neque ut foediùs corrumpere, sive prorsus supprimeretur, fieri unquam potuerat. Si à Moyse scripti Libri ad captivitatem usque manserunt, quid alios prociidisse cogebat? Si integrum Opus manebat; ut quid in compendium, quod Criticis nonnullis visum fuerat, redigendum? Profectò quicumque Operis alicujus epitomen adornat, ille repetitiones omnes, quæ tamen apud Moysem frequentes, evitat, semper enim ad ulteriora stylum urget. nihilque parergon in Opus adducit. Planè si Mosaicum opus breviare Author voluisset, poterant equidem Mosaicæ omnes repetitiones impanè omitti. Si quis verò Operi manum admovere, sive correcturus, sive sensus immutaturus, sive tandem aliquid subducturus adjecturusque, ausus fuisset, ille certè populi universi excitatum furorem in suum caput provocasset. Debuisse ille, qui tantam opus moliretur, omnia apud se Exemplaria servare, vel saltem tantum obtinuisse auctoritatis, quantum opus fuisset, ut castigationes suas approbaret recipiendisque curaret omnibus per universum latè orbem dispersis Judæis Exemplaria servantibus, uti per Ægyptum, Babyloniæ, Persidem, Mediam, Syriam, Cappadociam, Insulas, Palæstinam, cum Esdræ ætate Judæorum gens omnia loca penetrasset.

f 1. Macch. 12. 9.

g Justin. Constit. ad Gent. Iren. 1. 3. Tertul. Apolog. c. 18. Clem. Alex. Strom. l. 1. Cyrill. Catech. 4. &c. h Joseph Proem. Antiq. & lib. 12. c. 2. Cont. Apion. Hieron. Quæst. Hebr. in Gen. Talmudici.